

partitionis tempus deuiabat. Ideo que in prima eius apparitione caudam ad occidentem protendebat, quoniam illæ stellæ Geminorum putabantur. In fine verò cometæ sub Ariete locato propter Solis vicinitatem, nisi in occidentē apparuit, protendens caudam versus orientem: quia in hoc situ stellæ Geminorum ponebantur. In medio verò apparitionis cum iret inter duos polos, caudam vertebat ad meridiem: illic tunc erant stellæ Geminorum: contingebatque tunc nocte eadem: ut statim post Solis occasum cauda Orientem respiceret. Appropinquante medio noctis, respexit meridiem. Post medium noctis, respexit occidentem. Ante Solis ortum, indicabat locum septentrionis: vnde circulus stare consuevit. Hæc caudæ diuersitas in situ ex motu diurno oriebatur, quem cometa habuit: ex motu continentis insequentis primum mobile, qui semper est ab oriente in occidentē, motu autem proprio extremitas caudæ (quamuis tardius quàm caput cometæ) semper tamen etiam ad occidentem, contra signorum successiōnem, describens parallelum à principio Libræ vsque ad medium Tauri mouebatur: vadens sub pedibus Vulturantis: per Vrsam maiorem appropinquando Perseo: per quem circa Pleiades, ad caudam Arietis, ibat ferè in medio Tauri. Vnde patet, tam caput quàm caudam cometæ versus occidentem, & nunquam versus orientem, iuisse, non solùm motu diurno, sed etiam proprio.

*De distantia Cometæ à terra.*

Qui Geometriæ & Arithmeticæ rationes nouerunt, minime dissentiet eis quæ ex Ptolemæi traditionibus habentur: quibus in Almagesto demonstrauit, concuum orbis lunæ 33 vicibus tantum distare à centro terræ, quantum est ab eodem centro ad terræ superficiem. Semidiameter verò erræ (ut colligi potest) continet fere 913, miliaria Teutonica: & per ipsum (ut dicit Alphraganus 23 differentia) ratiocinamur distantias stellarum à terra. Considerando itaque maximam diuersitatem aspectus capitis cometæ à Spica stella sibi vicina, quæ iuxta